Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1347
Quelle:
Copyright:

domini Milleſimoquadringenteſimo Decimonono. Sequitur *Tabula* omnium IV. *Librorum.* Codex humore tracto vitiatus. Operum *Thomae* hactenus indicatorum Hiſtoriam curate pertractant Ord. Praed. *Bibliothecarii* T. I. a p. 283. ſubplentque T. II. p. 818.

DXCVII.

R. 1258 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 8. per duas columnas multis vocum compendiis exaratus, minio pernotatus et quondam Collegii S. J. *Vienn.* praevio *Capitum* Elencho inſcribitur: *Incipit liber de ueritate fidei catholice contra errorem infidelium editus a fratre thoma de aquino ord. fr. pred.* De Libro I. intellige; nam II. praemiſſo itidem Elencho *Capitum* orditur *fol.* 74. p. 2. Liber III. et IV. alium Tomulum occupaverint, qui non comparet. Tractatus hic paſſim audit: *Summa contra Gentiles*, ſed noſtrum Titulum primitivum eſſe, teſtantur Codices *Sorbonae* legati a Viris, qui *Thomam* etiamdum viventem viderant, referente *Quetifo* T. I. p. 289. L. I. incipit: *Veritatem meditabitur guttur meum* &c. et II. finit: *ſed ſuum intelligere eſt totum ſimul perfectum permanens per omnia ſecula ſeculorum. Amen.* Commentatus eſt in hos Libros *Franciſcus de Sylveſtris* Magiſter poſt Gen. Ord. ejusque Commentarius cum *Thoma* legitur in Edit. *Opp. Rom.* T. IX. *fol.* 1. Clauſulam miniatam immemor, quae in Titulo ſcripſiſſet, ita dedit Librarius: *Expliciunt queſtiones fratris Johannis de (Vienna? Ulma?* eſt enim eraſum a paullo minus inconſulto, utpote qui *Johannem* non tetigerit) *quas ſcripſit iohannes de ſuecia. Deo gratias Amen.* De *Suecia*, an *Suevia?* haec namque boni illi ſaepe confundebant, ut *Daniam* et *Daciam.*

DXCVIII.

Codex membraneus gall. Sec. R. 1541 XV. Folior. 402. f. max. vaſtae molis per duas columnas luculente perſcriptus, non tantum literis initiorum deauratis et picturatis, titulisque miniatis ornatus, ſed V. etiam magnificis Picturis totam paene paginam occupantibus viſendus, olim ab *J. Jac.* L. B. *de Lamberg* tunc deſignato *Gurcenſi* Epiſcopo, poſtea a. 1630. defuncto comparatus leviſſimo 30. Rhenenſ. pretio, demum a. 1728. e *Graecenſi* Archidd. Bibliotheca in Palatinam noſtram translatus complectitur *Alphonſi de Spina* ab Judaiſmo converſi et inter Franciſcanos recepti Opus polemicum contra Haereticos, Judaeos, Saracenos et malos Daemones inſcriptum *Fortalitium Fidei*, id quod Interpres gallicus *Petrus Richart* reddidit *La Fortreſſe de la Foy.* Ne longior ſim, alterum aeque ſplendidum Exemplar, quod *Vol.* I. P. 2. *col.* 1393. produxi, facit. Eadem enim utriusque ratio, niſi, quod in praeſenti Prologus Interpretis ſequatur Autoris Prologum, ſtilusque aliquando in minutiis